


cententur) recusantes, Ordinem divisissent; non est aliud dicere, nisi quod illi, qui Ordinem faciunt, & constituunt, illi eidem Ordinem dividant, & unitatem ejus destruant; quod est clarè contradicere sibi ipsi. Quomodò namque dividunt illi, qui omnia constituentia Ordinem uniunt observando? Aut quomodo è contrario non dividunt illi, qui quædam servant, & quædam non? Sanè in neutro Ordine hæc ex crescens Reformatio, est dicenda divisio, quæ in Instituto quidem Prædicatorum totum post se traxit Ordinem; in Religione verò Minorum, omnes & singulos sibi finaliter adunavit Ordinis Reformationes, dimissâ minori parte non reformatâ, ex quâ facerimus equidem confurxerit Odo modernorum Conventualium, à pristinis Minoritani Ordinis Conventualibus vel maximè differentium.



CAPUT UNDECIMUM

An Regula Minorum permittat usum simplicem quoruncunque Immobilium?

Num. 1. Notabilissimum hîc adhuc tangamus argumentum, quod Rationista hoc in compendio præfigit suo Capiti V. *Redditus primi, & secundi seculi Franciscani similes illis, quos Conventuales usque ad Concilium Tridentinum habuerunt, primitivi verò Observantes recu- arunt,*

Na

osten-

ostendunt *Conventuales Observantibus antiquiores esse*. Ubi notandum, quòd ante præfatum Concilium nulli *Minores* debuerint habere proprium in *Communi*: ut proinde suos *Conventuales* ad duo prima *Ordinis* sæcula reponat, debuit se fundare in usu simplici sinè dominio; quasi verò talem usum *Frares primævi* habuissent respectu *Agrorum, Vinearum, possessionumque fructiferarum*, ità, ut eorundum *proprietas* fuerit penès *Romanam Ecclesiam*. Et per consequens prætendit, possessiones hujusmodi nullatenùs fuisse contra puritatem *Regulæ*, quæ proprium quidem, etiam in communi prohibet; sed talem usum prohibere non potuisset. Conatur deinde demonstrare antiquitatem *Privilegiorum Pontificiorum*, per quæ usus ille, quasi ab *Ordinis primordio* licitus fuisset. Ubi equidem modulum meum non capit, qualiter dispensativis *Pontificum Privilegiis* fuerit opus, si talis usus puritatem *Regulæ*, ut suprà asseritur, non offendisset; Vel saltèm *Privilegia* hujusmodi non fuissent ab aliquibus tam sollicitè, imò (ut ipsi *Pontifices* loquuntur) tam *importunè* quaesita, & veluti extorta; quæ tamen, prout aliàs visum est, pleràque *Ordinis Capita, & Comitia Generalia* rejiciebant. Interim asserendum, quòd duobus primis sæculis *Franciscanis*, tam ratione obligationis *Regulæ*, quàm ob realem defectum omnis hujusmodi

Privi-

privilegii, Fratribus Minoribus semper fuerit illicitus talis usus, etiam simplex bonorum, ac fundorum fructiferorum; quod

Num. 2. Probatur imò ex Jure, & facto: quia Regula Minorum admittit tantum usum illarum rerum, quibus vita humana ordinatè ducenda non potest carere: aliàs non includeret paupertatem summam, & Apostolicam; atqui usu etiam simplici Vinearum, Agrorum, possessionumque fructiferarum potest vita humana ordinatè carere; prout, influente divinâ providentiâ, patet in Observantibus, & aliis Reformatis: ergo &c. Deinde talis usus simplex non minus, quàm etiam usus Juris similitium, natus est excludere mendicitatem, cum possent talia bona sub Dominio Pontificio usque ad congruam sustentationem excrecere; atqui mendicitas est de substantia Regulæ Minoriticæ, ut habet sensus omnium Pontificum, & textus Regulæ, quæ Cap. 6. vult, ut Fratres *tanquam peregrini, & Advena in hoc Saculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro Eleemosyna confidenter ... Hac est illa celsitudo altissimæ paupertatis ... Hac sit portio vestra, quæ perducit in terram Viventium, cui dilectissimi Fratres totaliter inherentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub Calo habere velitis.* Tandem ab initio Ordinis dominium talium bonorum non fuit sub proprietate Romanæ Ecclesiæ; utpote quod

Martinus V., pro sublevandis Fratrum conscientis, primus assumpsit: Vel adferatur prior Apostolicæ Sedis dispositio; Consequenter talia bona Fratres sibi tunc temporis appropriasse censentur, nullo alio dicente, se illorum esse Dominum; Unde contra hoc sæpè conquesta, & conturbata fuerunt Ordinis Capita. Ubi & frustrà replicatur, querimonias huiusmodi, & conjurationes fuisse tantùm contra talis usûs abusum: Si enim Fratres tunc non censebantur proprietatem habuisse, quomodò S. Antoninus part. 3. Histor. tit. 24. Cap. 5. de Fratre Gonfhalvo Ordinis nostri ad annum 1310. Generali Ministro veraciter scribere potuisset; quòd *totum Ordinem expropriaverit in vita sua, & sententiam excommunicationis tulit contra omnes Fratres subditos, & Prelatos, nisi intrà certum terminum illis, à quibus habebant redditus, vel eorum Hæredibus resignarent: quod & factum est.* Ubi qui expropriatur juxta Regulam, proprium contra eandem habuisse dicendus est, nisi ipsa me evidentia fallat.

Num. 3. Probatur 2dò per Expositionem Regulæ anno 1242. à famoso Alexandro Alesni Magistro S. Bonaventuræ, & tribus aliis editam, & à Bononiensî tunc temporis Generali Capitulo confirmatam, quæ *quatuor Magistrorum* vocatur, quæque Cap. 6. sic habet: „ Quæritur, quæ sit ista paupertas, ad quam tenentur Fratres, .. An scilicet prohibeatur eis
 „ ali;

„ aliquid fixum ad sustentationem habere:
 „ sicut aliqua personæ voluerunt Ordinare red-
 „ ditum perpetuum, quo in alieno loco susten-
 „ tarentur Fratres, ità, quòd aliqua proprie-
 „ tas apud illos non resideret. Item quæri-
 „ tur, an paupertas illa, ad quam tenentur
 „ Fratres, prohibeat eis, ne possint habere
 „ territoria, de quibus per culturam, & indu-
 „ striam suam omnis sustentationis suæ necessa-
 „ ria procurarent; ità, quòd proprietates penes
 „ alium resideret; ut, sicut habent hortos
 „ ad olera, & fructus, ità haberent Vineas,
 „ & agros? Ad quod dicendum, quòd, cum
 „ sit duplex necessitas Evangelicæ paupertatis,
 „ sicut dicunt Sancti, scilicet paupertas *imper-*
 „ *fecta*, quæ cum paupertate Spiritûs nihil su-
 „ perfluum retinet temporale; sed solum reti-
 „ net, quod est necessitatis. Alia verò *perfe-*
 „ *cta*, quæ cum voluntate Spiritûs nec neces-
 „ saria vitæ tanquam proprium retinet; sed ex
 „ Dei provisione dependet, quæ paupertas
 „ dicitur mendicitatis. Hæc verò videtur pau-
 „ pertas Fratrum Minorum, quæ hic determi-
 „ natur: Unde attenditur in duobus; unum
 „ est, ut non recipiant aliquid fixum, sicut
 „ redditum: & hoc est, quoniam *tanquam*
 „ *peregrini & Advena* debent Domino famula-
 „ ri: Aliud, quòd debent habere paupertatem
 „ quantum ad usum, ut taliter sint pauperes,
 „ quòd etiam sint mendici: Unde etiam addi-

„ tur (*supple in Regula*) vadant pro Eleëmofyna
 „ confidenter.

Num. 4. *Nec dicas imò*, per talem authoritatem usum Juris, non simplicem usum facti excludi. *add*, Quòd non liceat quidem in tanta copia fixos redditus accipere, ut excludatur quotidiana mendicatio; benè tamen in tantum, ut multiplicato numero Fratrum, & refrigerante hominum charitate Fratres valeant sustentari; Unde & Pontifices declarârunt, posse Fratres salvâ Regula, ex quotidianis Eleëmofynis, usque ad tempus novæ Messis in granariis asservare frumentum, & in caveis necessarium Vinum, utpote quorum mendicatio nequit commodè fieri, nisi certis anni temporibus, ex quo videtur concludendum à pari de redditibus fixis, pro sustentatione præter mendicationem necessariis.

Resp. ad *imùm*, Quatuor Magistros respondere ad quæstionem: an liceat habere Agros, Vineas pro fixis redditibus; prout licet habere hortos pro oleribus; sicut ergo respectu horum aliunde supponit exclusum usum Juris, ità nec respectu illorum, de eo volunt habere quæstionem, sed intelligendi sunt, Fratribus illicitum esse, *habere aliquid fixum, sicut redditum*, etiam quoad usum simplicem. *addum*, Quod objicitur, ruit per hoc, quòd Charitas nunquam adhuc ità refrigererit, quin stupenda quasi Observantium, Recollectorum &c. multitudo
 (cui

(cui adhuc integer Capucinorum Ordo accessit) de puris Eleëmofynis per tot Sæcula vixerit, sine aliquo *fixo, sicut est redditus.* Tandem Granaria debite modificata, & thesaurizationem non sapientia, declarârunt Pontifices concordare Regulæ; pro fixis autem redditibus declaratum læpè fuit contrarium, ut postea adducam.

Num. 5. Probatur 3^{ti}o ex S. Bonaventura, qui (dum Doctores nonnulli Parisienses turbam contra Ordinem concitaverant) in *Questionibus circa Regulam. q. 4.* Hanc solvendam suscipit objectionem: „ Cùm sufficiat ad Religionis perfectionem nihil habere proprium „ in speciali, & habere possessiones pro necessitate in communi, sicut omnes Religiones „ antiquorum Patrum Benedicti, Augustini, „ & aliorum; Videtur inconsultum, & aliquo modo tentare Deum, quòd tantus Ordo „ se exponat mendicitati quotidianæ, velut Cælitus expectet victum suum, cùm possit „ aliter habere. „ *Ad quod respondet Sanctus:* „ Tentare Deum non est, Christi promissionibus credere, ejus Consiliis obedire, & „ ejus Vestigia imitari, qui dicit Matt. 19. „ *Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me &c.* Dominus autem hanc paupertatem docuit, & tenuit, ut „ nihil possessionis in terra haberet. Unde „ Matt. 8. dicit: *Vulpes habent foveas &c.* „

Et in *Apologia Pauperum* Cap. 3. Resp 4 idem
 S. Bonaventura ait: „ Nequaquam igitur hujus-
 „ modi pauperes possunt rationabiliter argui,
 „ quòd discrimini se committant, ac per hoc
 „ homicidæ sint sui, vel tentatores Dei. Si
 „ enim sufficientiam victus, quantum ad usum
 „ opportunum respuerent, utique se ipsos ne-
 „ carent; Nunc autem... sic se committunt
 „ divinæ providentiæ, ut viam non spernant
 „ provisionis humanæ, quominus sustentari
 „ valeant, vel de his, quæ gratis offeruntur,
 „ vel de his, quæ mendicantur humiliter,
 „ vel de his, quæ per laboritium conquirun-
 „ tur. His enim modis vixerunt hæctenus
 „ hujusmodi pauperes in magna multitudine
 „ sexaginta annis, & ampliùs, per operis ex-
 „ hibitionem, adeò in eis divino impleto
 „ promisso, quòd nullus eorum, cujus ad nos
 „ fama pervênit, ob defectum vestitus, vel
 „ victus, mortis periculum incurrerit. „ Ubi
 „ sanè omnium Judicio S. Bonaventura faciliùs,
 „ efficaciusque respondisset, allegando possessiones
 „ bonorum, quorum usu, quantumcunque
 „ simpliei (dum dominium in potestate esset Sedis
 „ Apostolicæ) nedum tentationem Dei exclusisset,
 „ sed & Fratres ipsos ab objectis periculis fati-
 „ s immunes declarasset, præsertim, si simul ad-
 „ duxisset facultatem succedendi in hæreditates
 „ paternas, quam suprà dicebatur idem Sanctus
 „ à Clemente IV. petivissè, & per Bullam: *Ob-*

Obtentu divini Nominis impetrasse. Ast! nec de tali possessionum usu, nec de privilegio aliquo Pontificio, vel à longe facit mentionem; licet (ut statim adducemus) concedat Dominium Conventuum, Ecclesiarum, Librorum, utensilium, & comestibilium, quibus Fratres carere non possunt, si non ad ipsum dantem, saltèm ad Apostolicam sedem pertinere, Fratribus illorum non nisi simplicem usum facti habentibus.

Num. 6. Confirmatur idem ex alia Objectione Sancto Bonaventuræ facta in hunc modum :
„ Cùm Regula dicat : quòd nihil proprii debeatis habere, nec in speciali, nec in communi :
„ & vos habetis domos, Libros, Vestes, & alia
„ Victui necessaria pro tempore : quomodo potestis transgressiones hujusmodi excusare bonâ conscientia? „ Ità adversarius apud S. Bonaventuram loco cit. q. 24. Sanè, si hoc tempore Ordo perpetuos redditus, Vineas, & agros, etiam in modica quantitate, & quoad solum usum simplicem licitè habuisset, aut se habere fassus esset, utique Adversarius (cujus Crisin hoc latere non potuisset) tales objecisset, non contentus nominare solummodò illa, sinè quorum usu sciebat, vitam humanam, saltèm ordinatè, non posse transigi.

Unde etiam in conformitatem hujus respondet Sanctus ibidem dicens : „ Videmus in sæculo
„ famulos Dominorum panem, non suum comedere, tecto non suo contegi, & rebus alie-

„ nisuti, videlicet Dominorum suorum; sic &
 „ alii sæpè concessis utuntur tam vestibus, quàm
 „ aliis rebus de illorum voluntate, quorum res
 „ sunt. Sic & nos utimur rebus necessariis pro
 „ corpore, quas tamen nec in speciali, nec in
 „ communi nobis appropriamus: Regula enim
 „ non dicit, nos nihil debere habere, sed nobis
 „ nihil appropriare; Unde rerum necessariorum
 „ usum habere possumus, non proprietatem;
 „ alioquin nec vestem, nec cibum, nec aliquid
 „ aliud in usum recipere deberemus, quod esset
 „ contra omnem rationabilem intellectum. Præ-
 „ fuletiæ S. Sedis Apostolicæ, qui est Genera-
 „ lis omnium pauperum Ecclesiæ Provisor, spe-
 „ cialiter nostri Ordinis curam habens, OMNI-
 „ UM MOBILIUM, quæ Ordini conferuntur,
 „ proprietatem sibi assumpsit; exceptis his, quo-
 „ rum dominium sibi conferentes reituerunt,
 „ & nobis usum earundem rerum solùm conce-
 „ dit, ut semper alieno victu, & vestitu, & lecto,
 „ & aliis utensilibus absque proprietatis jure, ex
 „ ipsius concessione utamur. „

Hæc Sanctus ille Ordinis Generalis, qui ne-
 cessariorum quidem Mobilium novit proprietatem
 penès sedem Apostolicam residere; de bonis verò
 immobilibus, & fructiferis v. g. Agris, Vineis,
 &c. sicut non loquitur, ità nec novit, talium
 usum, quantumcunque simplicem penès Ordinem
 esse, aut salvâ Regulâ esse posse, quod, ut
 adhuc meliùs capias.

Num.

Num. 7. Confirmatur 2^{do} per hoc, quòd
alius Adversarius apud eundem Sanctum in Li-
bello Apologetico q. 9. suam in locis, domibus
Fratrum non contiguas, ponat censuram dicens :
„ Cum afferatis, vos secundum Regulam, &
„ professionem vestram nullos debere recipere
„ proventus reddituum, seu possessionum (NB.)
„ exceptis domibus, in quibus habitatis; vide-
„ mini transgressores Regulæ vestræ, in eo, quòd
„ recipitis Domos, & areas, non contiguas
„ vestris Areis, in quibus habitatis. „ Ubi quæso
hæc objiciens adversarius majorem potuisset Se-
raphico Apologista dedisse ansam reponendi, &
allegandi benignitatem Regulæ, aut privilegii
Apostolici, quæ usque adeò tanquam licitum per-
mitterent usum reddituum, & proventuum,
aliorumque bonorum fixorum, extra Clausuram,
& contiguitatem Conventuum, modò proprie-
tas talium penès Romanam Ecclesiam residere di-
catur. Nihil autem tale reposuit Sanctus, sed
usum talium locorum, vel ab Ordine rejicit, vel
modum, quo Fratribus applicari possent, cautè
distinguit dicens : „ Si qui in talibus incautè
„ agunt, dolemus, & contradicimus, & pro-
„ hibemus. Qualiter autem in his licitè agere
„ possimus, advertè, & tunc non judicabis nos
„ (si sanè intelligis) transgressores. Protesta-
„ mur nos, secundum Regulam nostram, nil
„ debere, seu velle possessionis, vel cæterorum
„ reddituum recipere, vel habere. Quia verò
men-

„ mendici sumus, & pauperes, ea, quibus pro
 „ nobis *presentibus necessitatibus* indigemus, idcò
 „ recipimus, prout licet. Cùm ergo aliquis vult
 „ nobis legare domum suam, vel aream non
 „ contiguam nostræ mansioni, non recipimus
 „ eam, nec per nos, nec per interpositam per-
 „ sonam, sicut nostram; sed si ille eam dispo-
 „ nit per alium quemcunque, ut, eâ venditâ de
 „ pretio ejus provideatur nobis ex parte suâ in
 „ his, quibus tunc indigemus, procurandis, vel
 „ in solvendis debitis, accepramus. „ Ecce lega-
 „ tum tale immobile debet vendi, & mobile ejus
 „ pretium Fratrum necessitatibus impendi.

Num. 8. „ Similiter (*pergit idem sanctus*)
 „ si aliquis disponderet per amicum, vel alium,
 „ quòd de pretio, vel de proventibus illis, vel
 „ aliis darentur Fratribus tot panes quotidie, vel
 „ tantum Eleemosynæ singulis septimanis, vel
 „ annis; non essemus propter hoc prædii, vel
 „ reddituum possessores: nam, si me petente
 „ Eleemosynam, aliquis dives promittat, quòd
 „ singulis annis Fratribus velit dare duas tunicas,
 „ vel tantum unam, vel singulis Hebdomadibus
 „ tot panes, & hoc committat officialibus suis,
 „ ut vice suâ ista dent, eo absente; & hoc ego
 „ pro Fratribus recipiam, vel etiam, si illi ne-
 „ gligunt dare, admonendo exigam, nunquid
 „ propterea certos redditus habere dicendi su-
 „ mus: cùm non ex jure, sed ex gratia solum
 „ talem Eleemosynam recipiam, vel exigam?

Et

„ Et si post obitum illius uxor ejus, vel alii amici
 „ pro anima illius adhuc velint aliquo tempore
 „ talem nobis Eleëmofynam per se, vel ex dis-
 „ positione illius largiri, possumus similiter re-
 „ cipere ex eadem graua; ita quòd, quando-
 „ cunque nollent ampliùs ista dare, nil petere-
 „ mus ab eis, quasi ex debito; sed more men-
 „ dicorum recurreremus ad domum clementis
 „ Domini pro quotidiana Eleëmofyna, quamdiù
 „ illi placeret: sed quando plus nollent, abire-
 „ mus vacui, gratias agentes de dato, & non
 „ murmurantes de negato. „ Ex quibus pro-
 „ fectò verbis nihil minùs relucet, quàm possessio-
 „ nes qualescunque pro Ordine reddituum, & ni-
 „ hil magis se manifestat, quàm talium exclusio.
 „ Quod & ad oculum patet ex eo, quod in Quæst.
 „ circa Reg. q. 10. resoluit, ubi sic: *Item quæro:*
 „ *Cùm omnibus debeatis cupere, ut salventur vobis-*
 „ *cum; quare indifferenter non omnes recipitis, qui*
 „ *desiderant: cùm non ardeat vos Prædiorum pauci-*
 „ *tas, sed aperta sit omnibus via mendicandi? Ubi*
 „ sanctus tacitè concedit, prædiorum paucitatem
 „ non posse allegari ab illis, qui talia nulla habent,
 „ nequidem quoad usum, unde aliã viã respondet
 „ dicens: *Omnes quidem cupimus saluari, & nulli*
 „ *prohibere possumus licentiam mendicantis, sed om-*
 „ *nes passim recipere, non expedit nobis, nec Eccle-*
 „ *sia Dei &c.*

Num. 9. Concordat cum S. Bonaventura
 contemporaneus ejus F. Hugo de Dina, qui in
 sua

sua Expositione Regulæ Cap. 6. inquit : *Hæc ergo paupertas Fratrum Minorum est, quæ determinatur hoc loco; unde attenditur in duobus: unum est, ut non recipiant aliquod fixum, ut redditus &c.* Interim dicente Rationistâ Fratres Minores duorum primorum sæculorum licitè habebant usum reddituum, & possessionum, quia talis usus non est contrarius puritati Regulæ S. Francisci; Imò cum hoc adhuc debebis conjungere illud : *Fratres Minores habebant talem usum per privilegium Innocentii IV. & aliorum Pontificum; Ubi alterum ab altero eò minùs adjuvatur, quo supposito primo tanquam vero, ruit, vel saltèm superfluit secundum.* Nec aliunde capio, Innocentium IV. privilegium talis possessionum usûs Fratribus concessisse, & immediatum ejus successorem, scilicet Alexandrum IV. id planè ignorâsse : Hic namque Pontifex, dum per Bullam, quæ incipit : *Ille specialis affectus.* apud P. Casimirum de Roma pag. 339. *Memoria Historica Provincia Romana*, Fratribus Minoribus concedens Ecclesiam B. Mariæ di Tivoli, possessiones talis Ecclesiæ assignabat Capitulo Basilicæ Vaticanæ; hanc pro hoc, conformiter ad Regulam Minorum, allegans rationem : *Nos attendentes, quòd ejusdem Ecclesiæ possessiones eisdem Fratribus habere non licet &c.* Utique, nec per benignitatem Regulæ, nec per privilegium sui Prædecessoris. Quin & idem Alexander in Litteris ad Regem Franciæ datis, quæ incipiunt : *Non sinè multa.*

multa. hæc scribit : *Cū insuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, Christūque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplectendo &c.* apud Wadding. Tom. 4. pag. 29. n. 33. Edit. Rom. Tandem Gregorius X. in Concilio Lugdunensi de hisce sui temporis Mendicantibus loquens ait. *Quibus ad congruam sustentationem redditus, & possessiones habere, professio, sive Regula, vel Constitutiones qualibet interdicit, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas.* ut habetur de Religios. Domib. in 6. & Glossa ibid. addit : *habent igitur Eleemosynæ querere, unde vivant : quia certos redditus, vel possessiones non habent, unde sequitur incerta mendicitas.* Cui mendicitatis incertitudini opponuntur redditus fixi, etiamsi horum proprietas resideret penès Papam, utpote qui non intenderet alium Eleemosynarum perpetuam influentiam impedire, nisi fortè cognoscerentur esse excessivi.

Nam. 10. Probatur 4^{to} nostra assumpta veritas ex famosa illa Decretali : *Exiit* : quæ habetur tit. de Verborum signif. in 6. & quam Nicolaus III. primo Ordinis sæculo, nimirum anno 1279. super Regulam, ac mentem S. Francisci edidit, postquam per duos menses cum nonnullis S. R. E. Cardinalibus, præcipuisque Ordinis Patribus, aliis omnino negotiis se subtrahens, condendæ huic Decretali se totum impenderat.

In

In qua inter alia sic : „ Declaramus , ordina-
 „ mus , & dicimus, quòd, si testator modum,
 „ secundùm quem Fratribus , eorum conditione
 „ inspectâ , recipere non liceret , exprimat in
 „ legando ; ut si legaret Fratribus Vineam , vel
 „ agrum ad excolendum , Domum ad locan-
 „ dum , vel similia verba in similibus proferret,
 „ aut modos similes in legando servaret , à tali
 „ Legato , & ejus receptione **PER OMNEM**
 „ **MODUM FRATRES ABSTINEANT**; si verò
 „ modum Fratribus licitum in legando testator
 „ expresserit , ut , si diceret : lego pecuniam pro
 „ Fratrum necessitatibus expendendam , vel
 „ agrum , Vineam , & similia , ad hoc , ut per
 „ certam personam , vel personas idoneas distra-
 „ hantur , & pecunia de rebus ipsis accepta , in
 „ ædificia , vel alia Fratrum necessaria converte-
 „ retur ; aut in legando similibus modis , vel
 „ verbis utatur ; in hoc casu illud , omnibus , &
 „ per omnia , consideratis eorum necessitatibus ,
 „ & moderationibus suprâ dictis , quantum ad
 „ Fratres servari mandamus , quod per nos est
 „ superiùs in concessis pecuniariis Eleëmofynis
 „ declaratum. „ Ubi vides , non dici , quòd ta-
 „ lium immobilium proprietates à S. sede assumatur,
 „ & Fratribus illorum usus pro suis necessitatibus
 „ relinquatur , quin potiùs , quòd à talium recep-
 „ tione *per omnem modum* debeant abstinere ; imò,
 „ quòd talia debeant vendi , ne respectu Fratrum
 „ habeant rationem boni fixi.

Num.

Num. II. Qualiter autem tam ipse, quam prædecessor ejus Innocentius IV. aliarum rerum inevitabiliter necessariorum Dominium ad S. Romanam Ecclesiam assumat, consequenter declarat dicens : „ Omnium utensilium, ac eorum mobilium præsentium, & futurorum, quæ, & quorum usum facti Ordini, vel Fratibus ipsius licet habere, proprietatem, & dominium (quod etiam feli. Record. Innocentius Papa IV. Prædecessor noster fecisse dignoscitur) in Nos, & Romanam Ecclesiam, Apostolicâ Authoritate recipimus... Loca verò, seu Domos pro habitatione Fratrum... Et, si in eis, dem locis jus reservaverit sibi in concedendo concedens, propter inhabitationem Fratrum tale dominium in jus Ecclesiæ sæpe dictæ non transeat; sed potius plene liberum remaneat concedenti. „ Hæc ibidem; ubi iterum de Vineis, agris &c. non facit mentionem, sciens, nec talia, nec illorum usum ad statum Fratrum Minorum pertinere; quin potius pro talium exclusionem ex S. Bonaventura subjungit: „ Nec quisquam ex his insurgat erroneè, quod taliter propter Deum proprietatem reculantes, tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei vivendi delicti se committant. Sic enim se ipsos committunt divinæ providentiæ in futurum, ut vitam non contemnunt provisionis humanæ, quin vel de his, quæ offeruntur liberaliter, vel de his, quæ mendicantur humiliter, vel de his,

„ quæ acquiruntur per laboritium, sustententur;
 „ qui triplex vivendi modus in Regula provide-
 „ tur expresse. „

Num. 12. Replicat Rationista, quòd Papa inter res, quarum Fratres usum habent, & ipse Papa dominium, ideò non nominaverit possessiones, quia sufficiebat nominare res illas, quarum nonnulli Calumniatores Ordinis dicebant Fratres proprietatem habere, quod fuerat per Decretalem excludendum. Quæ quidem pulchra est inventio, sed contraria vero, & principali motivo talis *Decretalis*, quæ potius pro principali intendebat, refranare os dicentium, statum Monasticum esse illicitum; ubi proinde, si Papa etiam noluisset omnes enumerare modos humanos, quibus Fratres possent summas à se necessitates repellere, saltèm non debuisset omittere modum principalem, quo tali necessitati ad oculum obviaretur per possessiones Vinearum, agrorum &c. quorum proprietas esset penès Sedem Romanam. Per idem etiam videtur ruere alterum effugium prætendens, dictam Decretalem solùm voluisse, ne Fratres Vineas, Agros &c. reciperent per semetipsos colendos, utpote, quæ cultura aliquod videretur fortè indicare dominium, vel juris usum; cum quo equidem staret, quòd, si Syndicus, seu substitutus Apostolicus per se, vel per alios Vineam, vel agrum coleret, fructusque Fratribus impenderet, nec ageretur contra puritatem Regulæ, nec contra altissimam pau-

paupertatem. Ast tali modo speciosa fortè alicui appareret Mendicitas Minoritica, de Eleëmofynis certa: dum Fratribus prohiberetur labor culturæ (quibus equidem Regula laborem, etiam manualementem commendat) & stabiliter permitteretur perceptio proventuum; ubi talis paupertatis austeritas plus videretur gravare Syndicum, quàm ipsos Fratres, professione pauperes, & Pontificium imperium potius, quàm amorem Dei in exigendis fructibus allegantes, dum loco incertæ mendicitatis Eleëmofynas certas expectarent, & eas tanquam ab obligatis nomine Pontificis exigerent.

Num. 13. Probatur *id* per Litteras Pastorales, & statutarias P. Joannis à Muro Ministri Generalis expeditas paucis annis post prælaudatam Decretalem Nicolai III. quæ demonstrant usum reddituum, & possessionum tunc temporis, scilicet Anno 1302. Fratribus Minoribus fuisse per Regulam illicitum, nullòque adhuc Pontificio privilegio permissum. In his autem Litteris in Capitulo Januensi præfato anno editis, Zelosissimus Generalis (postquam zelum paupertatis suorum Prædecessorum allegaverat) inquit:

„ Ab ipsorum zelo, & studio discrepare non valens, absque Religionis periculo, & salutis propriæ detrimento, anxiam curam sollicitare intendendo Fratres, & Filios, *juxta dies antiquos*, inter paupertatis altissimæ limites incedere; totisque præcordiis inardesco, sanctæ paupertatis

„ tatis offendicula tollere, quæ in ejus præjudi-
 „ cium conspicio pullulasse. Cùm itaque loca
 „ non nulla Ordinis nostri, quasi sit abbreviata
 „ manus Domini (jumenta pascentis, & Volu-
 „ cres, qui non seminant, neque metunt,
 „ nec in horrea congregant) ne suis possit pau-
 „ peribus providere, agros, Domos, & Vineas,
 „ seu possessiones annuatim de proventibus sus-
 „ cipiant, quasi de re perpetua eorundem &c.
 Deinde sub sancta obedientia, & sub pœna ex-
 communicationis præcipit omnibus superioribus,
 quatenus dissimulatione, & dilatione semotâ, bonâ
 fide curent insistere, ut possessiones hujusmodi, sive
 in Dombus, aut in Agris consistant, sive in Vi-
 nis, non solum locando, vel ad spatium vite
 vendendo, sed, si fieri potest, absolutè, & simpliciter
 distrabantur &c.

Num. 14. Dum interim hic Generalis Mini-
 ster (qui ad mentem Rationistæ Conventualis
 erat) ad Cardinalatum promovebatur, non tam
 ipse, quàm immediatus successor ejus, *F. Gon-*
salvus de Villa bona harum Litterarum execu-
 tionem ita usit, ut *S. Antoninus* suprâ N. 2. citatus
 verè de ipso scripserit, quòd totum Ordinem
 expropriaverit in vita sua; unde etiam Parisiis in
 visitatione anno 1313. obiens, Fratibus quibus-
 dam apparuit in throno, cum sceptro & aurea
 Corona, dicens, se hæc meruisse: *Quia purissi-*
mè in Ordine servaverat Regulam, & Dominam
paupertatem. Ex suprâ dictis autem pro nostro
 asserto

asserto hæc eruitur ratio : quòd scilicet hoc mandatum non minùs, quàm annexa excommunicatio fuissent nulla, si possessiones hujusmodi non existissent contra professionem Regulæ, vel si privilegio Pontificio jam fuissent legitimatæ ; sicuti enim privilegio à superiore potestate proveniente non præjudicat inferior ; ità nec datur tam violentus compulsus ad ea, quæ Professionis obligatione non comprehenduntur ; præsertim, dum agitur de toto Ordine compellendo. Ast non prætendebat illè Generalis aliquid ultrà, vel præter professionem inducere, cum profiteretur, se non intendere, nisi, ut *Fratres, & Filii juxta dies antiquos, inter paupertatis altissima limites incedant.* Et cum Rationista fateatur, usum simplicem hujusmodi possessionum non omnino ab antiquo, seu Ordinis primordio, sed per privilegium Innocentii IV. fuisse introductum, utique licebit hìc inferre, quòd prælaudatus Generalis intenderit, nedum eliminare possessiones ; sed & usum talium, ut ità juxta *dies antiquos Fratres de meris viverent Eleëmofynis incertis.*

Num. 15. Per hoc tuit etiam effugium, quò dicitur, Generalem illum voluisse quidem reddituum hujusmodi tollere ab usum, sed non usum ; ubi aliunde non video, qualiter in hoc passu usus ab abusu valeat separari, pro illo tempore, quo nulla adhuc comparebat Regulæ dispensatio. Objicit equidem, quòd Generalis dimissionem reddituum præceperit solùm conditionatè dicens :

*Si potest fieri absolute, & simpliciter distrahan-
tur; Ubi proinde, si quid obstabat, poterat
manere usus talium. Respondeo: conditiona-
lem illam non appellare ad dimissionem, utpo-
te, quæ absolute fieri debebat; sed cadere super
distractionem, seu venditionem, respectu cu-
jus dantes, seu Fundatores poterant esse inviri.
Ubi notandum ex suprâ dictis, quòd, si quid
immobile legeretur Conventui Franciscano, hoc
juxta Declarationes Pontificum, nullatenus de-
bent Fratres retinere, sed vendi debet per sub-
stitutum Apostolicum, & pretium in præsentem
Fratrum necessitates transeunter converti, quòd,
si non potest fieri, potest, quia legans non vult,
tunc est à Fratribus dimittendum ad manus le-
gantis. Similis etiam expressio habetur in Statu-
tis Observantinis de anno 1520. in Capitulo
Burdegalensi editis, ubi sic: *Item proprietates,
quas habuerint (Observantes) de Conventibus Con-
ventualium, pro reparationibus Conventuum,
aut pro Fratrum evidenti necessitate vendere, di-
strahere, & alienare licite, ac liberè possint de
concessione Apostolica: dummodò absque Scanda-
lo dantium, sive legantium fieri possit.* Ubi mi-
nimè sequitur, quòd in casu talis scandali, aut
stante legantis capricie, possent Observantes ta-
les sibi proprietates retinere, etiam quoad solum
usum; sic enim evitantes unam abyssum, intra-
rent aliam sibi periculosiorem.*

Num. 16. Hunc nostrum intellectum explici-

tè dat alia Epistola, quam Gonsalvus ille edidit Pisis, ubi etiam narrat, qualiter non *ab antiquis diebus*; sed de die in diem Monstruosus fuerit introductus *abusus reddituum*, quos similiter sub pœna excommunicationis mandat, vel vendi, vel illis, à quibus habebantur, aut eorum Hæredibus publicè, seu per instrumentum publicum resignari; quod & factum est, teste Alvaro Pelagio, *de Planctu Ecclesia*, & S. Antonio supra. Ast in verbis *abusus reddituum* observat Rationista, non usum, sed abusum duntaxat prohiberi, dum non excludantur redditus, sed *abusus reddituum*. Ubi (quia totius Epistolæ contextus sensum contrarium indicat, prout hæc refertur apud Waddingum ad annum 1310. Tom. 6. edit. Rom. pag. 171.) genitivus ille sumendus est intransitive, ut fit, dum una res, tametsi per genitivum expressa, prædicatur de alia tanquam in recto, prout v. g. dicitur: *Vinum Superbia &c.* Et Sanè Gonsalvus efficaciter eliminabat ipsos redditus, & possessiones, cum quibus nedum abusus, sed & omnis usus ex Ordine tuebatur, dum vel dantibus, vel eorum hæredibus ipsa substantia cedebatur, nec aliquid usûs remanebat.

Num. 17 Nec valet replicari, quòd Gonsalvus, ut eò efficacius abusum tolleret, ipsum usque ad eò prohibuerit usum, esto in se licitum; prout confirmatur in hoc, quòd simul etiam prohibuerit Eleëmofynas perpetuas, quas equi-

dem S. Bonaventura Justificat; puta, dum quis hæredem suum obligat, ut omni anno Fratribus dare teneatur tot panes, vestes &c. Ubi ad primum dico, non esse supponendum, Generalem tam illuminatum ignorâsse alias vias tollendi abusum, si ipsum ulum Judicâset licitum. Deinde, si usum licitum prohibere voluerit, cur non etiam mandavit eliminari hortos, quibus Conventus licitè utuntur pro oleribus necessariis? Ad alterum dico: non prohibuisse perpetuas Eleëmofynas respectu Fratrum merè gratiosas, adeóque juxta S. Bonaventuram licitas, sed illicitas prohibuit, quæ, sicut in certis hæredibus obligationem, ità & in Fratribus exigendi Jus connotabant, Ecclesiâ Romanâ dominium eorum ignorante. Unde in Epistola sua inquit: *Eleëmofynas, ac pensiones certâ obligatione solvendas annuatim, aut in perpetuum.* Imò cum S. Antoninus suprâ citatus de ipso Gonfalso dicat, quòd *totum Ordinem expropriaverit in vita sua*, hoc sanè verificari nequit per solum hoc, quòd usum per Regulam licitum fustulisset: expropriato enim subtractum fuit proprium, sicut occiso intelligitur vita subtracta; neque in alio sensu expropriare Ordinem potuisset.

Num. 18. Nec valet instantia prætendens, quòd, si Zelosus hic Prælatas agnovisset usum reddituum illicitum, citius utique pro illius extirpatione litteras expedivisset, quas tantum

sexto

sexto prius sui Generalatus anno dedit Pisis :
potuit namque Pisis primò invenisse talem cor-
ruptelam, quam adhuc non notaverat alibi;
imò hoc satis ipse testatur, dicens in data Epi-
stola, quòd paucis ante diebus talem sibi in
Ordine abasum compertum habuerit. Et sanè
non habebat sub tua cura unum, aut alterum
Fratrum Centenarium, qui in paucis conven-
tibus habitassent, sed Ordinem, tam in perso-
nis, quàm in Conventibus numerosissimum,
cujus proinde accidentalem statum non poterat
subitò penetrare. Et demum non valet, quòd
objicitur, *F. Alexandrum ab Alexandria* anno
1313. electum Gonsalvi successorem aliter sen-
sisse, utpote qui Communitatem Ordinis in
Concilio Viennensi defendebat, dum à Zelanti-
bus eadem Communitas accusaretur, quòd
multi Conventus annuos redditus nedum reci-
perent, sed & procurarent. Nam si bene in-
spiciatur, hæc ipsa defensio in meris versaba-
tur negativis, dum reponebatur, quòd talia,
vel plura illorum in Ordine non fierent; vel,
si fierent, rigide punirentur; & quòd contra
taliam antiquo jam essent facta statuta satis ri-
gida &c. Ubi adhuc pro omnibus objectis, &
objiciendis notandum, quòd nec in binis illis
Pastoralibus, & statutariis Litteris, nec in
ullo alio contra redditus, & possessiones Docu-
mento, vel minimum quid legatur, aut de
proprietate talium residente penès Sedem Apo-

stolicam, aut de interventu Syndici, vel substituti Pontificii: quorum equidem mentio pro legitimando possessionum usu fuisset admodum necessaria, præsertim si abusus fuisset eliminandus manente usu. Multò minùs mentio invenitur de existentia Privilegii dispensativi; saltèm pro tunc.

Num. 19. Probatur 6tò assumpta, ab initio Capituli, Veritas nostra ex Decretali: *Exivi de Paradiso &c.* in qua nedum Clemens V. confirmat illam Nicolai III., sed & de novo Minoritanorum obligationes circa punctum promissæ præsertim paupertatis, exponit, publicatque in Viennensi Concilio. Hæc autem Decretalis (quæ & habetur in *Clement. de Verb. signif.*) inter alia sic habet: „ Cùm annui redditus inter „ immobilia censeantur à Jure, ac hujusmodi „ redditus obtinere paupertati, ac mendicanti repugnet; nulla dubitatio est, quòd prædictis Fratribus redditus quoscunque, sicut „ & possessiones, vel eorum etiam USUM „ (cùm eis non reperiatu concessus) recipere, vel habere, conditione consideratâ ipsorum, non licet. „ Ecce! si non erret hic Clemens V. dicendo, possessiones, & redditus, imò & illorum usum Fratribus Minoribus, consideratâ ipsorum conditione, non licere; & quòd non inveniatur usus talium ipsis concessus; consequens est errare Rationistam, & quemcunque alium dicentem, quòd per benigni-

nigritatem ipsius Regulæ, seu secundum conditionem status Ordinis Minorum, & per Concessionem Apostolicam sub initio 2di Ordinis sæculi, sive tempore Clementis V. licitus illis fuerit usus reddituum, & possessionum, quantumcunque simplex.

Num. 20. Contra hanc nihilominus evidentiam in arena hæc adhuc scribitur objectio: *Prohibitiones in eadem Clementina facta contra Privilegia, tota, & totaliter fuerunt late pro Patribus de Observantia, qui paucis annis elapsis initium dederant Reformationi, duce B. Paulucio.* Ità P. Carolus Reinerus Conventualis in suo *Tractatu unico Veritatum Fundamentalium Minor. Conv.* editus Arimini anno 1693. Cap. 4. pag. 188. Et de his Observantibus idem Tractatus pag. 260. & 261. nobis dicit: *Antequàm Minores de Observantia constitueret B. Paulucius, in rerum natura non erant.* Et in Indice: *Observantes, viderunt primam lucem anno 1368.* Cui doctrinæ per omnia etiam insitit Rationista. Interim reflectat sincerus Lector, quòd allegata Decretalis Clementis V. facta fuerit 1312. consequenter quinquaginta sex annis priùs, quàm Observantes juxta istum Authorem viderunt primam lucem anno 1368. ubi duo mecum debent admirari unum est, Spiritus Propheticus Clementis V. qui pro solis Observantibus, sub directione F. Paulucii de Trincis nascituris, per 56. annos jam tum ab ante

ante declarabat dubia super Regulam Franciscanam ad solos illos tunc nondum natos spectantia. Alterum est contentum in Tractatu *Veritatum Fundamentalium* non Vulgare Myſterium: quod ſcilicet anno 1312. imò paucis annis ab ante in mundo fuerint Obſervantes, utpote, *qui paucis annis elapſis, inſitium dederant Reformationi, duce B. Paulucio* (qui equidem anno 1309. natus, ſicque tempore editionis Clementinæ trium annorum infans erat) & quod iſſiſſimi Obſervantes viderint primam lucem anno 1368. quorum proinde ante hunc annum, ne vel unus fuerat in mundo; ubi, ſi hæc *Veritas Fundamentalis* ſit, extra meum intellectum quærat ſibi fundamentum.

Num. 21. Eâdem libertate, vel dicendi liberalitate idem Author tenet Decretalem etiam Nicolai III. de qua ſuprà, non fuiſſe factam *pro Conventualibus*, quod eatenus verum eſt, quatenus tempore Nicolai III. omnes Fratres Minores erant Regulam in ſua puritate Obſervantes; nec in Ordine ullum adhuc erat datum, aut acceptum Privilegium, aut habendi proprietatem in communi, aut tenendi uſum ſimplicem poſſeſſionum, & reddituum, ſicque nec erant Conventuales tales, de quibus quæritur. Et revertendo ad Clementinam: ſuprà citatus Author pag. 189. ſuum proſequitur myſterium dicens: *Et Obſervantes tertio, vel quarto poſt anno non contenti Decretalis hujus intrâ*
Ordi.

Ordinem, & Communitatem esse Observatores sub Ministris Religionis, petierunt à Concilio Constantiensi... proprios Rectores, & Vicarios, ac petitioni eorum inclinatum est. Ubi ab anno 1312. in quo confecta fuit illa Clementina: *Exivi.* usque ad annum 1414. quo Concilium Constantiense noscitur inchoatum, reperiuntur ultra centum anni, non obstante, quòd in substantiali isto *Tractatu* legatur: *tertio, vel quarto post anno;* Unde vel hìc latet occultissimum *Mysterium*, vel *Tractatus* ipse amittit Characterem suæ inscriptionis: *Veritatum Fundamentalium.* Veriùs dixerim ego, quòd Observantes, quantumcunque in duobus primis sæculis Franciscanis per similes Authores occultantur, equidem ubique se prodant per scripta Authorum eorundem.

Num. 22. Si autem hic Author Observantes sumat pro Zelatoribus Regulæ, tunc quidem catenùs benè illos capit, licèt non integrè, quia, ut aliàs dictum, plures ejusmodi Zelatores manserunt intrà Ordinis Communitatem, & sub Ministris, quàm per Concilium Constantiense sub Vicariis collocati fuerunt; utpote qui sub Ministris, & inter Communitatem Ordinis varias ex post Reformationes instituerunt, ex quibus omnibus simul sumptis unum tandem Corpus Observantinum constitutum fuit. Hi equidem tempore editæ Clementinæ pauci erant, saltèm quatenùs inter alios, Veluti Zelato-

latores Regulae, distinguebantur, aut specialiter nominandi erant; & conceptibile non est, quod pro uno, & altero Zelante, celeberrimae illae Decretales, seu Regulae Expositiones factae fuissent; praetertim cum bini Pontifices, pro bono Ordinis Veluti sudantes, nullibi faciant mentionem de *Observantibus*, vel *Zelantibus*, sed solum de *Fratribus Minoribus*, totum alloquentes Minorum Ordinem. Imò si praelaudata Decretales non pro toto Ordine, seu Ordinis Communitate, sed pro solis *Observantibus* factae sint, à qua parte steterunt ergo tunc *Ministri illi Generales*, qui eas statim per totum Ordinem publicarunt, & illarum *Observantiam* toto Conatu urserunt? Ubi, si mihi dicatur [prout ubique dicitur] ante Leonem X. omnes omnino Ordinis *Generales* fuisse *Conventuales* (quam aequivocationem alibi patefeci) dicam ego, & hos *Conventuales* fuisse *Observantes*, utpote qui *Decretales* illas pro se factas agnoscebant, amplectebantur, & illarum *Observantiam* urgebant.

Num. 23. Sanè non pro aliquibus, sed pro omnibus, quotquot Minoritana capiebat professio, F. Guilielmus Farinerius Assisii in *Generali Capitulo 1354.* condidit *Statuta Generalia*, & *Generalem omnibus Minoribus*, omnino tunc adhuc indivisis, obligationem indicantia, quae exposit *Farineria* dicta sunt, & *Cap. 3.* sic habent: „ Prætereà, cum *Regula*
„ dicat,

» dicat, quòd Fratres non recipiant pecuniam
» per se, nec per interpositam personam; &
» qualiter intelligi debeat, per duos summos
» Pontifices, Nicolaum III. & Clementem
» V. apertè fuerit declaratum: Ordinamus (ut
» hoc melius Observetur) quòd Declarationes
» prædictæ, quantum ad articulum istum, &
» alia, quæ pertinent ad Observantiam pau-
» pertatis, quater in anno, & ipsæ Declara-
» tiones bis per integrum ad minus in anno
» legantur; ne ignorantia sit ipsis Fratribus
» occasio delinquendi. „ Profectò, quia tunc
temporis una eadèmq; erat professionis non
restricte formula; una utique etiam, & pari-
formis in omnibus Fratribus resultabat Regu-
laris obligatio; nisi dixeris præfatos Pontifices
Regulam non tam declarasse, quàm, ultra
Conditoris intentionem, rigorem addidisse,
ad quem non omnes, sed solos Observantes,
Zelantes, & volentes obligassent, seu obliga-
tos pronuntiassent; quod foret in Ordinem
indivisum divisionem, ac difformitatem indu-
xisse. Imò in tali supposito, quotquot sunt
Regulam juxta tales Decretales Observantes,
non tam S. Franciscum, quàm hosce Pontifices
habent Fundatores.

Num. 24. Circa Clementinam illam Ratio-
nista aliud pag. 110. & seq. format effugium,
dicens, per illam prohiberi Jus usûs, non au-
tem usum simplicem, quem Franciscani in red-
diti.

ditibus primorum sæculorum habuerunt tanquam in puris Eleëmofynis; quod dicit constare ex Verbis Pontificis illicitum declarantis *usum recipere, & habere*, quod per Cardinalem Aureolum idem est, ac *habere jus in usu*; Unde inquit: aliud est *usum in rebus habere*, & aliud *rebus uti*, quod simplicem usum facti indicat. Ast! hæc, quantum ad statum nostræ quæstionis, meræ sunt fallaciæ, quæ à Dialecticis vocantur *petitiones principiorum*, in quibus supponitur pro vero, quod esset vehementer probandum; scilicet, quòd usus simplex reddituum, & possessionum non sit contrarius puritati Regulæ Minoriticæ, & quòd Fratres Minores ante Concilium Tridentinum non aliter habuerint redditus, quàm ad modum purarum Eleëmofynarum, ex parte Fratrum gratiosarum; utpote quæ ipsis annuatim de benignitate Romanæ Ecclesiæ, à qua proprietates fundorum recepta erat, concedebantur mediante Syndicis, seu substitutis Apostolicis, absque eo, quòd ipsi Fratres ad tales Eleëmofynas annuas haberent Jus; & quòd proinde, salvâ puritate Regulæ, potuerint recipi, sicut hodie dum recipiuntur ab Observantibus, & Capucinis in subsidium quotidiana mendicationis &c. prout ibidem fusiùs discurret. Ubi, si hæc omnia supponantur vera, iteratò quæro: ad quid ergo serviebant tot petita Privilegia? ad quid dispensationes ab eodem Rationista decantatæ?

Frustrā enim precibus impetratur, quod à lege permittitur. L. 14. ff. de Privileg. Credit.

Num. 25. Ut autem gratis suppositarum harum Veritatum defectus appareat, quæro, quid rei tandem Martinus V. Minoribus dederit, aut quid de benignitate Apostolica concedendo effecerit? dum Pontificatûs sui anno 13. consequenter 1430. 10. Calend. 7bris tertio prius Ordinis sæculo, in Bulla, quæ incipit: *Ad statum Ordinis &c.* ad instantiam Ministri Generalis Guillelmi de Casali, quantum ad annuos redditus hanc provisionalem fecit dispensationem: „ Nos volentes Conventuum, locorum, & Fratrum hujusmodi opportunitatibus providere, *donec aliud à Sede Apostolica fuerit Ordinatum*, concedimus Procuratoribus (*id est Syndicis*) Conventuum, & locorum dicti Ordinis pro tempore existentibus, ut possessiones, & bona quæcunque mobilia, & immobilia, ac annuos proventus hactenûs præfato Ordini, & ejus Conventibus (*paulò superiùs dicit: diversis Conventibus*) relicta, & impofterum relinquenda aut aliis nominibus acquisita, vice, & nomine Romanæ Ecclesiæ, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium hujusmodi Jus, proprietas, & dominium, nullo medio, spectat, recipere, capere, tenere, & possidere, ac ipsorum fructus... in utilitatem Fratrum ipsorum Conventuum... & aliàs in ipsorum usus,

„ quibus relicta fuerunt, & deputata, dun-
 „ taxat, & de ipsorum Consilio, requisi-
 „ tione, & assensu convertere, & exponere
 „ possint, & debeant &c.,

Num. 26. Hic inquam quæro, quid rei
 talium reddituum Fratribus hic Pontifex con-
 cesserit? sanè non proprietatem, aut usum Ju-
 ris, utpote quem per totum Librum, & spe-
 cialiter Cap. 5. præterdit Rationista Conventu-
 ales non habuisse ante Concilium Tridenti-
 num; non etiam usum simplicem facti, pro-
 prietate existente penès Romanam Ecclesiam:
 quia juxta ipsum hunc usum jam habebant ante
 Martinum V. neque pro hoc indigebant dispen-
 satione, cùm, dicente eodem Rationistâ, non
 fuerit contra puritatem Regulæ; prout reverà
 PP. Capucini non indigent dispensatione, ut
 acceptare possint panes, qui per modum Eleë-
 mosynæ portantur ad ipsorum Conventus, eò
 quòd hoc nullo modo contrarietur puritati Re-
 gulæ. Quid ergo concessit Pontifex, ut non
 dicatur actum egisse? si taceas, dicam ego,
 quòd ipse primus, & primò aperuerit viam ad
 usum reddituum, quem, de *benignitate Apo-
 stolica* dispensando in rigore Regulæ, fecit esse
 licitam, qui declarantibus ejus Prædecessori-
 bus eò usque illicitus habebatur; primus, &
 primam fecit quoque hic Pontifex mentionem,
 de rebus immobilibus (præter Conventus, &
 Ecclesias) assumendis ad proprietatem, & Do-
 minium

minium Romanæ Ecclesiæ. Nec dicas Marti-
num V. præserenandis conscientis dubiis, illud,
quod jam dudum, imò semper, licitum fue-
rat, licitum declarasse. Nam hoc ipsum ruit
ex eo, quod Martiniana illa dispensatio facta
fuerit solum provisionaliter; *donec aliter à*
Sede Apostolica fuerit Ordinatum; quod non fit,
dum factum ex natura rei, seu ex intentione
legis, & Regule licitum declaratur: tale enim
perpetuò licitum debet intelligi.

Num. 27. Qualiter autem Martinus V., qui
non ità pridem statuta à S. Joanne Capistrano
composita confirmaverat, & in quorum Ob-
servantiam totum Generalissimum Capitulum,
pro universali Ordinis Reformatione, proque
eliminandis corruptelis, & abasibus, qui ir-
reperant, solemne Juramentum præstiterat,
qualiter inquam hic idem Pontifex (à quo sta-
tuta illa *Martiniana* dicuntur) tam subito ad
hanc expediendam, hætenus adhuc inaudi-
tam dispensationem inductus fuerit, narrat
Orbis Seraph. Tom. 2. Lib. IX. Cap. 2. N. 15.
Quòd cum *Guilielmus de Casali* Minister Gene-
ralis ob depositum, ex titulo relaxationis, An-
tonium de *Massa*, eo in Capitulo electus, Vir
ad grandia quæque natus, reformationi Con-
ventuum, prout Juraverat, Comite Capistra-
nensi, manum admovisset, impossibile com-
perit abusuum radices, jam nimis altè defixas,
evellere; unde ad serenandas, & quietandas

Fratrum conscientias fatiùs judicavit ad benignitatem Sedis Apostolicæ recurrere informando, ut per dispensativa Privilegia de plenitudine potestatis, quam super Regulas omnes habere non dubitatur, licita facere dignaretur. Itaque Martinus V. omnium primus, à Guiljelmo Generali, ex causa prædicta, informatus (quem idcirco à Juramento, quod in contrarium emiserat, per Bullam: *Pervigilis Pastoris &c.* absolvit) expressas Decretales, paupertatis Franciscanæ dispensativas, voluit publicari, veluti de motu proprio confectas. Hoc ergo tempore, hâc occasione, & hoc Pontifice nomen, & res, seu Vitæ methodus PP. Conventualium fuerunt in Ordinem introducta. Et cum tunc temporis per Concilium Constantiense Observantes *de Familia* jam tum quoad modum Regiminis essent ab Ordinis communitate separati (intra quam alii non minùs Reformationes meditabantur) poterant hi Fratres *de Familia* eatenus pati, quod mures mitterentur in peram; & hac per parenthesin.

Num. 28. Interim allegata superiùs Auctoritas Cardinalis Aureoli paritatem non habet cum modo loquendi Pontificum: aliud est enim *usum in rebus habere*, quod Aureolus dicit coincidere cum *habere jus in usu*, & aliud est *rerum usum habere*, quod non differt à *rebus uti*, sicque tam hoc unum, quàm aliud (saltem junctis circumstantiis) simplicem usum facti indicat;
ulti-

ultimo autem modo loquendi utuntur Pontifices, dum mobilium, & utensilium usum Fratribus Minoribus licitum, reddituum vero, & possessionum illicitum declarant; sic Clemens V. non dicit ad sensum Aureoli: *in eis* (scilicet possessionibus) *usum habere non licet*; sed *earum usum. . . habere non licet*, quod coincidit cum *illis uti non licet*. Sic & Nicolaus III. in citata sua Decretali inquit: *Dicit namque Regula: Fratres habere poterunt Breviaria, ex hoc patenter insinuans, quod Fratres sui habuissent usum Breviarii, non dixit usum in Breviario*. Sic & Gregorius IX. in Bulla: *Quo elongati &c.* declarat: *Nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed utensilium, & Librorum, & eorum mobilium, qua licet habere, usum habeant*. Similiter S. Bonaventura in qq. circa Regulam q. 24. *usum rerum necessariorum habere possumus, non proprietatem*. Ubi nullibi fit expressio *usus in rebus*, qui per Aureolum coincidit, cum *jure in rerum usu*.

Num. 29. Tandem Rationista ex superius Num. 25. adductis rationibus suis infert dicens: *Quibus omnibus consideratis etiam Author Firmament. 3. Ord. difficultatem non habuit asserendi, quod redditus Conventualium ante Concilium Tridentinum, relatis Clementis V. verbis nullatenus contradicerent*. Ad quod dico *imò*, quod talis sententia non sit *Authoris Firmamentorum*, scilicet Bonifacii de Ceva; sed alicujus, qui ad Tra-

Statum P. Magistri Perini additamentum fecit.
 2dò, quòd talis Author hanc sententiam non pro-
 ferat resolutivè, sed dubitativè, cum anxie so-
 lum utatur verbis: *Videntur*, & *videtur*, ut
 statim adducam: *Verbum autem Videtur fictio-
 nem importat*, ut dicitur L. *Qui actionem ff. de
 Reg. Jur. 3mò* dico, quòd Additor ille sibi ipsi
 per talem sententiam contradiceret, dum apud
*Firmam. cit. part. 4. fol. 128. de Provisionibus
 Nicolai III. & Clementis V.* loquens, subjungit;
 „ Verùm aliqui Ministri, & Fratres laxius tunc
 „ vivere volentes, & his tantis, & sufficientibus
 „ provisionibus non contenti, alias ampliores,
 „ & puritati Regulæ contrarias, à diversis som-
 „ nis Pontificibus, & præsertim ab eodem Mar-
 „ tino V. Eugenio IV. Pio II. Sixto IV. & Alex-
 „ andro VI. subrepticè impetraverunt, tam pro
 „ receptionibus pecuniarum per se ipsos, & per
 „ alios, quàm pro receptionibus possessionum,
 „ atque annualium reddituum, & successioni-
 „ bus Parentum Fratrum, fiendis, & exigendis
 „ indifferenter per hujusmodi Procuratores Pa-
 „ pæ, & Ecclesiæ Romanæ, & in necessitates
 „ Fratrum convertendas, & ad quos Procura-
 „ tores indifferenter Fratres recurrere possent. . .
 „ Qui quidem modus, licèt quoad proprietatem,
 „ & Dominium (quod nullo modo per hæc Fra-
 „ tribus, nec Ordini acquireretur) puritati Re-
 „ gulæ non videatur derogare; tamen quoad
 „ alios Evangelicos, & perfectos vivendi modos

„ ex Regula, & paupertate Evangelica (NB.)
„ ordinatos, per labores sibi competentes, &
„ mendicantes, ubi haberi, & exerceri possunt,
„ DEROGAT MANIFESTE. „

Num. 30. Probatum 7^{mo} nostra Veritas ex
Bulla Clementis VI. de anno 1342. quæ ita in-
cipit, & proseguitur: „ Sacro-sancta Mater
„ Ecclesia &c. . Exhibita siquidem Nobis Cha-
„ rissimæ In Christo Filix nostræ Sancix Reginx
„ Siciliæ Illustris petitio continebat: quod olim
„ ipsa tempore Juventutis suæ. . & in quo Mo-
„ nasterium Sancti Corporis Christi Neapoli Or-
„ dinis S. Claræ, de licentia sedis Apostolicæ fe-
„ cit construi, illudque de bonis suis detavit, ac
„ in eo certum numerum Fratrum instituit, ac
„ etiam collocavit, de statu, & professione
„ personarum dicti Ordinis Minorum non in-
„ formata plenariè, nec instructa; in ordina-
„ tione, quam fecit in fundatione, & donatione
„ ipsius Monasterii, inter cetera ordinavit,
„ quod Fratres Minores in ipso Monasterio pro
„ tempore commorantes, unà cum sororibus
„ ejusdem Monasterii, pro victu, & vestitu,
„ super dictis bonis certos haberent redditus an-
„ nuatim; quæ quidem Ordinatio, & alia
„ circa hujusmodi fundationem, & donationem
„ præfacti Monasterii fuerant Authoritate Apo-
„ stolicâ, ex certa scientia, confirmata. Verùm
„ quia (sicut habet assertio pluriùm in sacra
„ pagina Magistrorum) Ordinatio, & Con-

23 firmatio hujusmodi, quatenus assignationem
 23 reddituum annuatim ipsis Fratibus Minori-
 23 bus factam concernere dignoscuntur, *Regu-*
 23 *la, & professioni dictorum Fratrum expressè*
 23 *repugnat, & in ipsorum Fratrum redundat*
 23 *periculum animarum*; præfata Regina nobis
 23 humiliter supplicavit, ut statui, ac salutem di-
 23 ctorum Fratrum super his providere, & quæ
 23 in hac parte minus debite sunt statuta, revocare
 23 Autoritate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur
 23 devotionem sinceram, & conscientie puri-
 23 tatem ipsius Reginae in Domino laudibus com-
 23 mendantes, ac volentes ipsorum Fratrum sta-
 23 tui, & animarum salutem paternè consulere, in
 23 hac parte ipsius Reginae supplicationibus in-
 23 clinati, hujusmodi assignationem annuorum
 23 reddituum, per eandem Reginam in fundatio-
 23 ne, & donatione dicti Monasterii, vel aliâ
 23 per eam Fratibus ipsis factam, & quacun-
 23 que alia in Ordinatione, & Confirmatione
 23 prædictis contenta, non consona Fratibus,
 23 & Religioni prædictis, seu eorum professioni,
 23 & Regulae repugnantia, Autoritate Aposto-
 23 licâ, revocamus, cassamus, & etiam annul-
 23 lamus: eisdem Ordinatione, & Confirma-
 23 tione quoad omnia alia in eis contenta, in suo
 23 pleno robore, ac firmitate duraturis. Nulli
 23 ergo &c.

Num. 31. Diceret hinc Rationista, redditus
 illos annuos utique in modo foundationis ita fuisse
 Fra-

Fratribus assignatos, ut hi intelligerentur illorum non tam *usum simplicem*, quam *juris* habuisse, quod repugnat Regulae. Ast! si hoc: cur ergo Papa Ordinationem illam, quatenus sustentationem Fratrum respiciebat, simpliciter cassavit, & annullavit? Cur illam non ita solum modificavit, ut abusus averteretur, maneretque usus licitus? Cur non pronuntiavit, Regulae, professioni, ac saluti animarum dictorum Fratrum abunde provideri per hoc, quod proprietates non residebat in Fratribus, sed in Monasterio Clarissarum? Vel, si umbra proprietatis solum obstabat, ac deterrebat: cur non deciaavit, se illa ad Dominium Romanae Ecclesiae assumere? Cur ipsi in sacra pagina allegati Magistri (qui utique Ordinis erant) non respexerunt ad plures alios hujusmodi redditus, quorum usus simplex juxta Rationistam, ferè ubique tunc fuerat in Ordinem introductus, veluti puritati Regulae nullo modo contrarius? Alterius profectò illi erant sententiae, unde repugnantiam illius usus cum professione, & Regula pronuntiârunt, Pontifice cum iis sentiente.

Si dicas, tam Fratres illos, quam Magistros non fuisse de Ordinis Communitate, sed de numero Zelantium, qui Scrupulum illum Reginae impresserant, non obstante, quòd per usum hujusmodi recedatur quidem ab exemplari rigore S. Francisci, & primorum sociorum ejus; sed non à puritate Regulae, prout Rationista ubique

prærendit. Respondeo, quòd hic Author per hoc sibi ipsi contradiceret : quia anno 1342. quando præfata Bulla fuit expedita, nec zelantes, nec Observantes, saltèm sub aliqua distinctione, erant in Ordine : præsertim cum ipse dicat, totam zelantium factionem anno 1318. fuisse extinctam, & Observantes non comparuisse ante annum 1368. Accedit, quòd Bulla loquatur de *Fratribus Minoribus*, nullam inferens de *Zelantibus*, vel *Observantibus* mentionem. Item non meminit de repugnantia usûs reddituum cum rigido modo vivendi S. Francisci, sed cum professione, & Regula, quæ omnibus tunc eadem, & communis erat, & cuius repugnantia redundat in periculum animarum, sub quo non obligat imitatio rigoris S. Francisci. Unde hæc effugia sunt, non argumenta.

Num. 32. Tandem probatur nostra Veritas 3^o per testimonia usque ad Martinum V. inclusivè, seu ad annum 1430. Bonifacius IX. scribens certis Episcopis, qui in suis Dioccesibus negabant Fratribus Minoribus libertatem mendicandi, inter alia sic ait : „ Considerantes, quòd „ necare videntur. qui denegant alimenta ; „ Cum Fratres dicti Ordinis non habeant proprium, nec aliquid, ex quo vitam ducere „ valeant, & Altissimo deservire, nisi Eleëmofynas querant ; Fraternitati Vestre in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna suspensionis

sim
 præcipuus
 in Regest. pag.
 bus Martin
 nem univ
 re intender
 no publicat
 10. sic ha
 de facto con
 sione Fratr
 possessionib
 perperis, qu
 item nosti
 venire : &
 tallum reru
 ratione q
 storum, n
 ur Procura
 hæc interim
 dem intena
 nemini, loc
 tempora imp
 a Joannis d
 Ordini.
 du : in pa
 qui privileg
 Carvezo C
 17.
 Num.
 soprum r
 Ordinem

„ nis præcipimus &c., apud Wadding. Tom.
 5. in Regeft. pag. 467. Deinde in Constitutio-
 nibus Martinianis, seu juffu Martini V. (dum
 Ordinem univerfum ad puritatem Regulæ redu-
 cere intenderet) Affiffi in Generaliffimo Capi-
 tulo publicatis, & , ut aliàs diximus, juratis,
 Cap. 10. fic habetur: „ Et fi quæ funt debita
 „ de facto contracta, folvantur de expropria-
 „ tione Fratrum, & locorum, de Vinetis, &
 „ poffeffionibus, cæterisque rebus in Ordine
 „ repertis, quarum poffeffio, fecundùm puri-
 „ tatem noftri ftatûs, non potefit Ordini con-
 „ venire: & fi quid fupereffe poterit, ex pretio
 „ talium rerum vendendarum, vel ex reddenda
 „ ratione quorumcunque Fratrum, vel Mini-
 „ ftrorum, aliorumque fubditorum, affigne-
 „ tur Procuratoribus, id eft Syndicis Apoftolicis.,
 Hæc interim ftatuta refervarunt fibi Obfervantes,
 dum intenta Generalis Reformatio, ut fuperiùs
 memini, locum non inveniret; & fic circa hæc
 tempora impleta videbatur prophetica prædictio
 B. Joannis de Parma, Olim Generalis Miniſtri
 Ordinis. - *In duo hominum genera Ordo divifus
 ibit: in paros Regula Obfervatores, atque in eos,
 qui privilegia procurabunt.* Apud Damianum
 Cornezo Chron. Seraph. part. 2. Lib. 4. Cap.
 37.

Num. 33. Et cum per electionem Martini V.
 foptum tandem fuerit diuturnum ſchisma, quod
 Ordinem Minorum non minùs, quàm ipfam
 Eccle.

Ecclesiam Dei miserè turbaverat ; adimpleta etiam apparuit Prophetia S. Patris Francisci, quæ talis erat : „ Magnæ tribulationis, & afflictionis adesse festinant tempora, in quibus temporaliter, & spiritualiter perplexitates, & discrimina inundabunt, Charitas multorum refrigeret, & superabundabit multorum iniquitas. Dæmonum potestas plus solito solvetur, nostræ Religionis, & aliarum puritas immaculata deformabitur in tantum, quod vero summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ, paucissimi ex Christianis vero corde, & Charitate perfectâ obedient. Aliquis non Canonicè electus in articulo tribulationis illius ad Papatum assumptus... tunc multiplicabuntur scandala ; nostra dividetur Religio... Regula, & vita nostra tunc à quibusdam acerrimè impugnabitur. „ *S. Francis. in Opuscul. Edit. Lugdunen. pag. 529.*

Num. 34. Si fortè sit, qui ratione hujus, & præcedentis Capituli me arguendum existimat, quòd Venerandæ recordationis Antonio Lucci adscriptum Librum (quem Adversarius meus, seu noster *quidam Modestus Verinus*, mihi toties objecerat) non tam refutare, quàm ad argumenta ejus, cum bona venia respondere præsumpserim ; talis reflectat ad ea, quæ ab initio præcedentis Capituli dixi, me scilicet (cum Authore *Tripartita Apologia*, contra eundem istum Librum, Idiomate Italico editæ, & Moderno San-

Sanctissimo Domino nostro oblatae) non credere, illum esse istius Libri Authorem. Et quidem per hoc Judico, me potius pro ipsius Veneratione, quam in ejus praedictum sentire. Testor enim meam conscientiam, quod specialem erga illum Dei veraciter servum sentiam devotionem, conjunctam cum Filialivoto illius Cultus publici, cum tempore ab Ecclesia permittendi; in cujus futuri Cultus processu, nescio, an profutura magis foret illius Libri adscriptio, quam non adscriptio; Deus interim dirigat omnia ad suam Gloriam.

Num. 35. Si dicat aliquis Librum illum sub tali in - & adscriptioe publicatum fuisse Venerabili seruo Dei in vivis adhuc degente; respondetur forte, quod ex humilitate, cum amore Ordinis sui conjuncta, hoc permiserit: vel ad summum, quod forsitan in juventute vitae suae regularis nonnulla hujusmodi argumenta Chartae dederit; quando scilicet, ut Descriptor vitae ejus (qui & in suo Prologo latino mei *Itineris 4^a diei*, saltem per modum simplicis, dignatus est facere commemorationem) §. 2. meminit, ante Episcopatum omnia ostendit, quae sunt Doctrinae, & non perinde, quae sunt Sanctitatis; in Episcopatus e converso Munere, occultatam Doctrinae excellentiam Sanctitatem per omnia manifestavit. Adde, quod ego jam dudum ab ante Romam (non tamen a superioribus) requisitus fuero, ut ad istum Librum, hic in Germania in
Lati-

Latinum translatum, etiam Latinè responderem, quod ex solo pacis motivo facere recusavi; nesciens pro tunc adhuc, quòd per *Modestum Verinum* (etiam in aliena Messè occupandum) essem eò usque cum tempore pertrahendus. Si proinde pro Observantibus in hac parte aliquid fecerim; Mi Modeste Verine (cum quo mihi postea nonnullus adhuc sermo erit) per te provenisse dicendum est; si autem in Responsionibus meis defectus sit, id mihi soli manet adscribendum; tibi verò soli, quòd tractatus Observantes inter & Conventuales incidentaliter, atque ob inevitabilem materiæ per te mihi objectæ connexionem, fuerit institutus. Interim sicut te non novi, nisi in *Ænigmate*, & per modum viri obscuri; Ità modernos RR. PP. Conventuales, sicut & Sacram Capucinatorum Familiam in Veneratione habeo, & colo, quos & colit Orbis in Dei Ecclesia.

Num. 36. Addiderim hìc adhuc, quòd Viri docti, tam extranei, quàm domestici de aliàs mentionata, & à me sæpè in adiutorium vocata *Tripertita Apologia*, Libro (qui prætensè Illustrissimo Antonio Lucci adscribitur) in Idioma-
te Italico opposita, sat plausibiliter in Italia sentiant. Sanè A. R. P. Lucius Ferrari Lector Jubilatus Provinciæ S. Didaci, qui ex Lectione istius Apologiæ, eò permotus fuit, ut generosè, & candidè revocaret, quæ aliàs seductus Scripserat: nam in *Supplementis* suæ prom-

pta Bibliotheca Canonica-Juridico-Morali. & Theologica Bononiæ impressis anno 1753. Verbo: Religiones Regulares. pag. 172. hæc habet:

|| Circa dicta sub Verbo: Religiones Regulares.

|| Art. 8. N. 10. attendenda est sequens variatio, sub eodem prorsus titulo, ac numero subnectenda, demptis ibidem, quæ leguntur in prima Editione (deinde ponit subnectenda) dicens: Sub eadem Regula S. P. N. Francisci, non in suo rigore, & ad litteram, sed cum certis dispensationibus Apostolicis, militant PP. Conventuales; qui, sicut alii Regulares bona immobilia, & dominium in communi habere possunt; præsertim post acceptatum ab ipsis Indultum Concilii Tridentini (sess. 25. de Regularibus Cap. 3. (NB.) non vero ex prætenso Indulto ipsis ab Innocentio IV. anno 1247. 14. Calen. Septemb. Constitutione incipiente: Quanto Studiosius. ut varii falso censuerunt, & etiam in nostra prima Editione Tom. 5. sub verbo: Religiones Regulares. art. 5. N. 10. inadvertenter traditum; nam duobus primis Saculis Franciscanis nullum concessum fuit Privilegium, nulla dispensatio, nulla concessio Apostolica, quibus reddi posset licitus Fratribus Minoribus usus Redditiuum, possessionum, aut bonorum immobilium; & sic ante annum 1430. usus illarum rerum ipsis fuit semper illicitus; & prima dispensatio fuit

|| ipsis

// ipsis provisionaliter concessa à Martino V.
 // dicto anno 1430. 23. Aug. Constitutione,
 // quæ incipit: *Ad Statum Ordinis Minorum.*
 // Et prima concessio succedendi quoad bona
 // temporalia hæreditaria, ac si essent in Sæcu-
 // lo, ipsis facta fuit à Sixto IV. anno 1472.
 // pridie Calendas Martii, Constitutione, quæ
 // incipit: *Dum fructus uberes.* & non ex tam
 // decantata Constitutione Clementis IV. quæ
 // incipit: *Obientu divini nominis* edita 2do
 // Idus Februarii 1265. quæ directa tantummodo
 // fuit *Magistro Generali, & Fratribus Or-*
 // *dinis Prædicatorum,* ut clarè constat ex ipsa
 // authenticè extracta ex Secretario Archivio Va-
 // ticani die 3. Julii 1727. per Dominum Jaco-
 // bum Antonium de Pretis, præfati Archivii
 // Custodiæ Præfecti, prout fideliter refertur
 // in Apologia pro Ordine Minorum Tom. 1.
 // Lib. 4. §. 1. novissimè anno 1748. *Luca* im-
 // pressa apud Philippum Mariam Benedini.
 // Hæc Constitutio fuit Specificè confirmata,
 // & de Verbo ad Verbum relata à Nicolao IV.
 // Constitutione, quæ incipit: *Cùm olim.* & à
 // Martino V. Constitut. quæ incipit: *Dudum.*
 // cum solo prædicto titulo. Hinc prævio re-
 // cessu à traditis loco suprâ citato insistendum
 // omnimodè edico in hisce expositis, & nullo
 // modo recedendum à laudata *Apologia,* in
 // tres Tomos ordinatissimè distributa; ubi
 // abundè, solidè, & inconcussè omnia ad evi-
 // den-

|| dentiam pro nostratibus de Observantia de-
 || monstrantur, ac comprobantur.,, Hactenus
 citatus Clarissimus Scriptor P. Lucius Ferrari
 domesticus.

Num. 37. Extranens, qui illam Apologiam
 laudat, est Clarissimus Dominus Doctor *Lami*
de Sancta Cruce Florentinus, rigidus alioquin
 Cenfor, & ex complacentia nemini parcens:

Hic in Continuatione Novellarum Litterariarum


Num. 6. Florentiæ 11. Februarii 1752. pag.
 82. 83. & 84. sub titulo *Luca*. scribit sequentia:

|| *Apologia pro Ordine Minorum &c.* apud Phi-
 || lippum Mariam Benedeni in 4to. 1mus To-
 || mus paginas habet 618. 2dus 622. 3tius
 || 317. In Præfatione memoratur Historia de
 || Origine, & progressu Controversiarum in-
 || ter Minores Conventuales, & Observantes
 || circa Primatum immediatæ successione; &
 || hæc est historia Litterana non ingrata. Post
 || Præfationem fusè ponuntur probationes, &
 || rationes, quæ distinctissimè, & ad amissim
 || probant, Fratres Minores verè esse lineam
 || rectam, continuatam, descendentem à prima
 || Observantia Regulæ S. Francisci. Contro-
 || versiam hanc non agitabo: Solummodò di-
 || cam, opus hoc urgentissimis rationibus, ve-
 || rissimâ historiâ, documentis irrefragabili-
 || bus, uti Bullis Pontificum, Decretis Sacræ
 || Congregationis, Statutis Ordinis Stabilium
 || esse abundantissimè... Rarò, & difficulter

// inuenietur, qui duos primos magis prolixos
 // Tomos legere desideret; idcirco quilibet
 // desiderabit tertium breviorum, minus pro-
 // // lixum, & magis gratum, quandoquidem
 // // est Compendium Chronologicum Historiæ
 // // Franciscanæ, à principio usque ad finem,
 // // juxta fundamenta data in hac *Apologia pro*
 // // *Ordine Fratrum Minorum*. In hoc tertio
 // // Tomo videtur, cujus professionis fuerint San-
 // // cti, & Beati, Doctores, summi Pontifices,
 // // Cardinales, & alii homines graduati, qui
 // // in ipso floruerunt; & simul ex ea formari
 // // potest iuxta Ideam rationum, quas movent va-
 // // riarum Congregationum ad sibi appropriandum
 // // omnem Franciscanam Antiquitatem. In fine
 // // hujus 3ⁱⁱ Tomi sunt Indices Præfationis,
 // // causarum magis notabilium primi Tomi. Ul-
 // // terius Tabula Chronologica Ministrorum
 // // Generalium totius Ordinis Fratrum Mino-
 // // rum S. Francisci usque ad modernum. Item
 // // omnium aliorum Superiorum Generalium
 // // Fratrum Minorum addito anno, quoad Gu-
 // // bernium admissi sunt. In Summa, qui
 // // hos tres habet Tomos, integram quasi tenet
 // // Librariam, quantum ad materiam Minori-
 // // ticam. Hæc ille extraneus.

Num. 38. In comparatione talium Virorum
 Apologiam illam laudantium ego quasi nullus
 sum; unde de eadem nihil dico, nisi, quod plura
 Ordinis Documenta nullatenus inuenissem, nisi ta-
 les

les tres Tomos ad manum habuiffem. Pro modulo etiam, quo Linguam Italicam, non nisi sub obscuritate legere, ac intelligere valeo, magnum fateor, me ex iisdem hauiffisse adducendarum rationum, & probationum emolumentum. Quapropter, si temporum, ac rerum circumstantiæ pro futuro ulterius quid exigent (exurgente forsitan, sub nonnulla nominis variatione, *VERINO MODESTO*) tales Tomos aliis meis Confratribus, in Idiomate Italico magis versatis, pro triumpho Veritatis, intimius commendo: si enim cæcutiens multum in iisdem invenerit, quid non inventient illi, qui Libros hos, omnia Minoritica exhibentes, de pleno intelligunt; equidem *non nisi in pacis tempore bene colitur pacis Author.* Clement. dudum de sepulturis.



CAPUT DUODECIMUM

De Quotlibetis Discursûs Polemici, seu de nonnullis, que sparsim obmouet, præsertim in Appendice.

Num. 1. Nunc, sicut ad finem, sic etiam ad illum, qui nobis hæc otia, seu negotia fecit, non nihil adhuc accedamus. Postulat Modestus Verinus sibi adhiberi fidem, etiam, dum nedum sinistra; sed & infideliter, tum meos, tum aliorum textus, & asserta allegat; prout non in